

MAGNIFICO VIRO D. THOMÆ BOMBELLI
Gemma Phrysius. S. D. P.

Non adeo nuper est magnifice uir quod semel hunc librum amicorum impulsibus emendatum sic satis pro eo tempore studiosis reddiderim. Qua sane in re neque oleum neque operam mihi perdidisse uideor, nam praeter omnia exemplaria quae id temporis excusa sunt, iam passim alia desiderantur, quamquam laudem hanc non equidem iure mihi uendicare possim, sed potius autorem spectet suum. At non nihil etiam nobis cedit, si uetus exemplar cum nostro conferatur, adde etiam nisi nostro impulsu factum fuisset, nunquam in tam multorum manus peruenisset. Iam uero uti studiosorum sedulitati non desim, desideratum a nonnullis librum, eliminatis quae tunc per oscitantiam (ut fit nonnunquam) mendis, poenitus tersum, & ex omni parte suis constantem partibus affero, & quo gratior, immo utilior sit, adieci nonnulla quae ut in hoc opere ad perfectionem artis desiderari possent, ita etiam a nemine antea (quod sciam equidem) eo modo ad lucem perducta sunt. Quum autem ita hodie sint mores, si quis quid facit in arte aliqua, hoc sine patrono in publicum non prodeat, Nulla honesta excusatione praetermittere possum, quin hoc nostrum quantulumcumque laboris tibi tuaeque protectioni commandem, & si sciate (ut es gloriae minime auidus) aegre laturum, si quis quocumque modo nomen tuum satis praeter hoc clarum laudibus efferre uelit. Vincit enim me cum in omnes, tum uero maxime in doctos tua humanitas, qua semper neque molestis neque impensis parcens eos promoues et tanquam Mœcenas alis & foues. Gratus igitur sit hic noster exiguus conatus quem post (si Dijs fauent) maiora sequentur.

Vale. Antuerpiae pridie kalendas
rum Februarij. Anno D. 1533.